De vita et morte, utriusque item adjunctis et causis. Disquisitio medica / praeside ac moderatore Emmanuele Stupano ... ingenii exercendi gratia, ad d. ... Maii a Iohanne Pfannero.

Contributors

Stupanus, Emmanuel, 1587-1664.
Pfanner, Johannes.

Publication/Creation

Basileae : Typis Johan. Schroeteri, Ann. M.DC.XXVIII. [1628]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/btqu6brw

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DE VITA ET MORTE, UTRIUSQUE ITEM ADJUNCTIS ET CAUSIS.

DISQVISITIO MEDICA,

PRÆSIDE AC MODERATORE
Clarissimo & Excellentissimo
VIRO,

DN. D. EMMANUELE STUPANO,
PHILOSOPHO ACUTISSIMO, ET MEDICO
Theorico, in pervetusta Rauracorum Academia
Professore celeberrimo, Præceptore suo
Parentis instar æternùm
colendo.

SVPERVM AVSPICIIS, ET INDVLTV
Magn. & Grat. Medicor. Basileens.
Collegii,

Ingenii exercendi gratiâ,
ad d. 7. Maii
à

IOHANNE PFANNERO,
VIENN. AVSTRIACO.

APOLLINEAE PROLI
exhibita & objecta.

Non vivere, sed valere Vita est. SOCRAT.

BASILEÆ, Typis Johan. Schrœteri.
Ann. M. DC. XXVIII.

VENERANDA CANITIE
VERA PIETATE ET PRUDENTIA
singulari, conspicuo Viro integerrimo:
D N.
JOACHIMO PFANNERO
SENIORI, QVONDAM VIENNENSIVM
Senatori Amplissimo, nunc Ulmæ degenti,
PARENTI MEO ÆTERNUM
Reverendo, suspiciundo:

Hancce Thesium Medicarum Centuriam
SUBMISS. ET OBSERVANTISS. ANIMI
INDICEM SACRAM ESSE OPTAT.

EN, offero tibi PATER *observande*, studii mei Medici primitias, & quale quale lucubrationum progressuumq; meorum specimen: *serum* forsitan, at cultus in te mei testimonium *serium*, affectusq; mei in te filialis obsidem religiosum: *Exile* fateor *donum*, si cum illis, quibus ab incunabulis cumulasti me, & plenâ manu cumulare pergis identidem, conferatur beneficiis & officiis: *in quo* hercle si quid formæ, si quid virium, si quid gratiæ, si quid judicii est & ingenii, id muneris tui est universum: *Per* TE enim hac ipsâ luce (*singulari* DEI *beneficio*) fruor; Nec *vivo* duntaxat per te, & *valeo*, sed magnâ sanè curâ tuâ, tuo studio & labore tuo educatus; munificentiâ tuâ in *florentissimis* GERMANIAE *Academiis* præstabilium scientiarum sacris initiatus, in iisdem etiamnum *inclyto hoc* RAVRACVM *in Athenæo*, formari me, firmariqúe percuras munificentissimè: Nec in cassum spero fiet id, indulgeat modò vitam DEVS, ac gratiæ scientiæque incrementa omnis *Scientiæ Sapientiæq;* inexhaustus *fons, Luminum* PATER benignissimus largiatur. *Quem*, ut grandævum te, tuosque, meos immò, calamitosissimo hoc in Reipub. & Ecclesiæ statu, inexhausta bonitate, & benignitate, ad extremum usque vitæ halitum, complectatur; & tandem CHRISTI merito partâ, vitâ æternâ beet, supplex veneror. AVE & VALE PATER *observande*.

Scripsi BASILEAE, currenti calamo, Calendis Maii, Anno à partu Virgineo 1628.

Amplitud. Tuæ Obsequentiss. Filius

JOHANNES PFANNERVS
A. & R.

THESIS PRIMA.

Icuti mors omnium ultima linea rerum: Malum, quo non terribilius ullum: lib.3.Ethic. c.6. *ita vita* hæc', per se & natura sua *(aliud Bonum nullum eam consequatur quanquam)* Bonum ingens, l.9.Eth. ad Nicom. c.9. ab universo animantium ordine expetitur unicè, protegitur studiosissimè. l.de sens.& sensib. Núm ergo homo, vitæ avidissimus, per quæ vivat, non meditetur? opprobrium foret

II.

Vita *(ut à Definitione ordiar)* Animæ & corporis animati, ab utriusque illius unione dependens, est actus, & exercitatio. l.2. de anim. c.5.

III.

Mors econtrà omnium animæ functionum *(propter illius ex corpore discessum & compositi dissolutionem)* abolitio est & omnimoda cessatio. Ibidem.

IV.

Alii: *causali Definitione* describunt Vitam, quòd sit caloris nativi, cum humido radicali conjunctio, & in corpore permansio. Mortem autem quòd sit caloris insiti extinctio, & à radicali humido divulsio.

V.

Actus nomine, nõ *tàm* ipsas actiones & opera *quàm* vigorem & vim, à qua opera promanant quasi, intelligere oportet.

VI.

Insuper Animæ & hujus ergastuli connexus, adeò ad vitam necessarius, ut sine illo, Vita, ne tantillum quidem subsistere possit.

VII.

Anima *cum primùm* ad corpus accedit, præstò est vita, *quo momento* à corpore secedit, interit vita.

IIX.

Vinculum autem & copula Animæ cum Corpore, præter

ipsos Spiritus, Caloris nativi & humidi nobis complantati, jucunda existit Symmetria.

IX.

Vita enim *(reliquæ qualitates primæ, tametsi & ipsæ ad vitam necessariæ)* cumprimis in Calido & *(hujus pabulo)* Humido insito consistit, eorundemque propter interitum & consumptionem, interit.

X.

Hinc videmus omne animatum corpus vivens, ab ortu suo calidum esse & humidum. l. 2. de anim. tex. 48. Caloris insuper ministerio omnes vitæ procurari functiones, in confesso est.

XI.

Denique Calido & Humido *vigentibus*, florere & vigere, *languentibus* autem marcessere & ad exitium præcipitari viventia cuncta. Ibid.

XII.

Quod ipsum Poëta sequentibus scitissimè docuit:

Ergo quòd hoc vivunt vivunt quæcunque sub orbe
Seu stirpes, seu sint homines; animalia seu sint
Spiritus intùs agens, & vis innata caloris
Hic calor, hic unus vitam fovet, atque per omnes
Infusus partes latè dominatur: at idem
Ipse sibi solito pariter nutrimine gaudens
Pascitur, & victu vires conquirit amico
Humor hic est substantificus, similaribus intùs
Partibus adfusus, pinguis, multoq; refertus
Aëre, qui donec calidum fovet, ipsa fovetur
Vita calore suo, verùm illo depereunte
Hic perit, & vitam permutans morte, recedit.

XIII.

Porrò *tùm* calorem *tùm* humiditatem primigeniam *(vitæ duces & moderatores benignissimi)* necessum est temperatam & moderatam esse.

XIV.

Nimirum Calor naturâ suâ mitis & blandus, fomento velut & pabulo non quolibet, nec quantocunque sanè haud pauco, nec crasso aquosóve, sed proportionato sibi, naturæq; suæ analogo,

logo, tenui, ſpirituoſo pingui & oleoſo, ſuſtentatur & conſervatur.

XV.

Quale, à ſemine, & ſanguine menſtruo, generationis noſtræ principiis obortum, à primo ſtatim ortus noſtri momento toti corpori noſtro, omniq; hujus particulæ ineſſe deprehenditur.

XVI.

Humidum requiritur *primò* copioſum, *exquiſitè dehinc* temperatum, *inſuper* pingue, ab excrementis defæcatum probè, & maximè elaboratũ, ipſiq; putredini quàm minimè obnoxium.

XVII.

Copioſum, dixi, hinc majora animalia, majoresque plantas, maximâ ex parte, minoribus vivaciores novimus, *quod ibi*, majus ſpatium *quàm hic*, calori nativo, ad depaſcendum humidum concedatur.

XIIX.

Inſuper in univerſo ferè animantium genere, maribus longiorem vitam Natura conceſsit, quàm fœminis, quòd illi, his, & calidiores ſunt, & magis ſucculenti.

XIX.

Quòd enim mares, citiùs interdum occumbant, quàm fœminæ, illud non niſi ex accidenti propter intervenientes *tàm* animi *quàm* corporis motiones, injuriasque externas fieri putandum, ita ut iidem, haſce ſi devitarent modò ſtudioſiùs, juſtam ætatem facilè conſequi poſſent.

XX.

Neque verò ſatis eſt ut luxuriet, ſed inprimis ut à ſordibus depuratum humidum, ſymmetrum ſit & pingue, requiritur.

XXI.

Primùm quòd pinguia quæ ſunt, de Aëris quoq; & Ignis natura plurimùm participantia, putredini quàm reſiſtunt potentiſsimè; nec facilè exiccari poſſunt & concreſcere.

XXII.

Deinde cùm per experientiam conſtet homines, grandiora animalia quàm plurima, (*humidi radicalis minorem quidem molem, majorem autem eucraſian. ſubſtantiæq; ſubtilitatem quia obtinent*) longævitate multis modis ſuperare.

XXIII.

Adeoq; humidi connati nobis largioris defectum, ac quantulamcunq; copiam, ejusdem qualitatum moderatione & benignitate, compensari quàm efficacissimè.

XXIV.

Pariter in confesso est, propter adductam rationem, Aquatilia brevioris vitæ esse, quàm Gressilia.

XXV.

Excrementorum ad hæc, *Pituitæ* cumprimis & *Melancholiæ*, in corporibus luxuriam, subitaneæ mortis causam existere, & *bile flavâ* quotquot carent animantia *(cujusmodi sunt, Cervus, Delphinus, Camelus)* quàm-maximè longæva esse, docent Philosophi naturales.

XXVI.

Ex temperamentis denique & hominum naturis, vivaciores, eas quæ temperatæ & ad calidum ac humidum modicè inclinant, *videlicet sanguineæ*; Ab hâc econtrà quæcunque procul recedunt, brevioris esse ævi, quàm certissimum est.

XXVII.

Cholerica enim constitutio humidi parum obtinet, calidum habet acre & mordax.

XXIIX.

In Phlegmatica, Calidum minori quàm convenit adest copia, Humidum autem est aquosum fluidum.

XXIX.

Melancholica complexio, frigida sicca, utraque qualitate sua, vitæ principiis quàm est adversissima.

XXX.

Enimverò nativus calor, ad Radicale humidum, cùm perinde ac flamma ad oleum seu sævum habeat sese; & proinde in perenni fluore positus, continua indigeat per alimentum paranda restauratione: *sicuti etiam* flamma subinde affuso oleo, foveri debet: hinc quanta ad vitam conservandam, Nutritionis existat necessitas, quàm est apertissimum.

XXXI.

Unde rursum scitè Poëta dicit;

Sed calor innatus, quia depopulatur abunde

Humida

Humida primigeni succi fundamina, & omni
Tempore transpirat, toto se corpore fundens
Halitus, hinc opus absumtum quo grata liquorem
Restituant alimenta, suoq; humore priorem
Humore irrorent. ——

XXXII.

Alimentum, quò naturæ nostræ familiarius, ac corporis nostri substantiæ similius, eò ad defluxum hunc reparandum, & ad ipsius vitæ tutelam, est accommodatius.

XXXIII.

Necessum ergò, *intrò sumpta*, converti in chylum, *hunc*, Hepatis vi mutari in sanguinem, *Sanguinem* posteà, gradatim elaboratum, in humorem alimentalem (*quem adquisitum vocant*) abire, *qui tandem* quod de humido radicali, à calore interno simul & extraneo consumptum est, refarcit jugiter & reponit.

XXXIV.

Quo posito haud injuriâ quæritur, *nunquid hac ratione, Vita præsens in perpetuum protrahi queat?* Ubi notandum, fieri hoc neutiquam posse: Cùm in consumpti humidi locum, quæ succedunt, ab iis quæ evanuêre, integritate deficientia: & ipsis longè deteriora, ac perfectè assimilari nequeuntia, insitum humidum cóinquinent.

XXXV.

Hinc fit, ut tandem, idoneo instrumento calor destitutus, ad interitum vergat, ipseque animalis subsequatur interitus.

XXXVI.

Ex quibus jam liquet opinor, ad vitam & vivacitatem plurimùm momenti habere sex res non naturales: cujusmodi sunt, *Aër, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigilia, Excreta, Retenta, Animi pathemata denique.*

XXXVII.

Uti enim recto & legitimo illarum usu, fovetur; ita earundem abusu & vitio, Vita vitiatur, ejusdemq; abrumpitur filum.

XXXIIX.

Conferunt inprimis cœlestium corporum influxus, variiq; syderum aspectus: *cùm enim* inferior mundus: lationibus quæ in obliquo circulo, Zodiaco fiunt, gubernetur, hinc non est dubium

dubium, quin *nunc* beneficæ, *nunc* adverſæ qualitates, viventibus impreſſæ, hæc *aut* vegetent, *aut* ad interitum agant.

XXXIX.

Qualitatem Soli, Regionisque conſtitutionem, quod attinet: conſtat propter cœli terræque clementiam, homines eſſe quàm vivaciſsimos, & maximè vegetos.

XL.

In univerſum, certum eſt, quæ calidas incolunt regiones, animalia, diutiùs vivere, quàm quæ in frigidis degunt locis & paluſtribus.

XLI.

Eadem de cauſa etiam ſalubriores, & ad vitam protrahendam aptiores videntur Regiones ſublimiores, ſpiritu & aëre, undique afflari ſolitæ.

XLII.

Immò & civitatum, domorum, & conclavium diverſi ſitus, diverſitatem ſalubritatis, diverſumque vitæ ſtatuunt terminum.

XLIII.

Oriens tenuem, ſubtilemque reddit aërem, Occidens craſſum, & Plagæ ſeptentrionales, frigidiores ſunt minusque ſalubres, meridionalibus.

XLIV.

Siccam pariter, anni temporis, aerisque conſtitutionem novimus ſalubriorem longè, quàm ipſa eſt pluvioſa: *In hâc ſiquidem* humorum ſummam ob colluviem, indies accreſcentem, putredines frequentiſsimas oboriri, & nativum calorem facilè obrui, contingit.

XLV.

De alimentis quantum valeant, ante monui, quibus & ſequentia addimus.

XLVI.

Optimam hîc eſſe Temperantiam, deterrimam *tum* Ingluviem & Crapulam, *tum* Ciborum indigentiam.

XLVII.

Hæc, perpetuò enim in motu conſiſtens calor, alimento deficiente, in ipſas agit ſuperfluitates, & ſubſtantificum depopulatur

pulatur humidum, unde ipsum ante diem interitum, subsequi necessum est: *haùd aliter* ac lucernæ flamma, oleo parciùs affuso, extinguitur.

XLIIX.

Illa, nativum obruit & planè suffocat calorem, omnisque generis morbos, pestiferasq; furias inducens: Lethi corripit gradum, unde etiam *eandem illam Medicorum nutriculam, scribit Celsus*, longè plures interficere, quàm gladium.

XLIX.

Econtrà Diætæ studiosi, ob expeditissimam caloris operam: & durabiliores multò, & ad vitæ munia cuncta habiliores, iis, qui luxui & deperditæ voluptatum libidini, emancipati; vix dimidium vitæ suæ assequuntur terminum.

L.

Vides (ait Poëta) *ut pallidus omnis*
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.
Alter ubi dicto citiùs, curata sopori
Membra dedit, vegetus, præscripta ad munia surgit.

LI.

Labor & quies, mediocritatis transiliens limites, vitæ cursum abrumpit potentissimè: *Sicut: econtrà moderata exercitatio*, calorem naturalem, ipsamque vitam promovet, & fovet benignissimè.

LII.

Quatenùs scilicet naturæ opera omnia *concoctiones cumprimis tres, excrementorumq; ex corpore excussiones* adjuvat & perficit, quas in vitâ sedentariâ & otio deditâ, impediri, quàm est certissimum.

LIII.

Vt autem laboris, *ita* & vigiliarum excessus, (*quatenus per hunc, Somno, animalium functionum feriis quasi & quiete impedita, Vires animæ exolvuntur, humidumq; nativum consumitur*) ad vitam parùm opportunus.

LIV.

Sic qui *Epimenideo velut* somno profundiore obruti, dor-

miendo, cum gliribus quasi decertant, superfluitates excrementitias, *(à quibus radicalis humor squalidus & impurior redditur)* dum congerunt, mortem sibi accelerant.

LV.

De intempestivâ, nimiaq; Venere quid dicam? sanè & humido radicali & hujus soboli vitæ, noxas omninò infert illa, irreparabiles, dum corpus exiccat, nervos enervat, viresq; Animę cunctas dejicit & resolvit, *quæ forsan ratio*, quòd passeres masculi, brevioris multò vitæ sunt, ipsis fœminis.

LVI.

Eodem modo incommodant vitæ, & plùs nimis humorem nativum consumunt, omnis uberior justo evacuatio, universalis, particularis, *hæmorrhagia e.g. diarrhœa, sudor*, &c.

LVII.

Nec alia est ratio animi pathematum, *moderatum e. g. gaudium*, calidum nativum, vitalem quin & sanguinem, ac spiritus, ex corde, per arterias in universum corpus deducens, & proliciens idipsum vivificat omnino & vegetat, *ast lætitia eadem exuperans*, calore & spiritubus vitalibus confertim exhalantibus, syncopem & mortem repentinam inducit frequentissimè.

LIIX.

Similiter, curæ immoderatiores, metus & tristitia longo tempore perseverans, motubus inordinatissimis, cor exagitando, calorem insitum suffocat, spiritusque dissipat: unde, *marasmus, macies, & præmatura sequitur mors.*

LIX.

Ex quibus liquet: Res non naturales septem: *opportunè* quidem adhibitas, prolongare, *sinistrè autem* usurpatas, destruere & perimere vitam.

LX.

Imprimis cùm constet, quòd ob totius certorúmve viscerum vitium, *qui naturâ debiles sunt & valetudinarii*, ob exactum tamen vitæ regimen, diutiùs plerumque, aliis exquisitè sanis, vivant.

LXI.

Et vicissim, quòd *naturâ validi* crebriùs prematurâ morte abripiantur,

ripiantur, nempe quòd corporis robore freti, de vita & viribus muniendis, minimè ſolliciti, impunè genio ſuo aliquandiû indulgentes & in ſalubrem Medicinam impingentes, tandem, *heu!* ex inopinato demetuntur.

LXII.

Hactenùs *Vitæ*, hujusq; accidentium, vivacitatis & vitæ brevitatis eſſentiam, ſubjectum, & potiores recenſuimus cauſas effectrices, de *Morte*, quæ vitam excipit, & umbra velut, corpus immediatè ſequitur: in ſpecie, addenda quædam reſtant.

LXIII.

Omnium Animæ, animatiq; corporis functionum, Mors eſt ceſſatio, ob nativi caloris extinctionẽ inprimis, diſsipationem item humidi radicalis, Animæ denique ex corpore diſceſſum, & compoſiti diſſolutionem, facta.

LXIV.

Diximus *Mortem*, omnium Animæ functionum eſſe privationem, ad differentiam Syncopis, Somni, & Affectuum ſoporoſorum.

LXV.

In ſomno equidem, animales feriantur quaſi & ceſſant actiones, *Intellectus putà, Senſus & Motus arbitrarii.*

LXVI.

Pulſatilis virtus, per quietem, inter ſingulas arteriarum diaſtolas & ſyſtolas, quæ intercedit refocillatur; *Alternæ ſimiliter illæ* naturalium actionum viciſsitudines, quatenùs, una agente facultate, altera otiatur, Naturalis anima, ne exolvatur, impediunt.

LXVII.

Omnem denique actionem, in quietem terminari oportet: *Sola interim Mors*, univerſaliſsima quies, omnes ceſſare facit, finit & concindit, animati corporis functiones.

LXIIX.

Cauſæ mortis, ex prægreſsis quanquam apertæ ſint, doctrinæ causâ tamen, illas diſtinguimus *in Externas & Internas, & has* in Antecedẽtes & Proximas ſubdividimus. *Externæ Mortis cauſæ*, neceſſariæ ſimul & fortuitæ, manifeſtiores, quàm ut pluribus iterari debeant.

LXIX.

Ad internas antecedentes, referimus cum Galeno, tres illas fatalis nostri interitus, necessitates inevitabiles, quas recenset Gal. in principio statim, l. de tuend. sanit. videlicet, *I. generationis nostræ* primordiorum contrarietas; *II. perpetua in sese invicem illorũ* actio passio; *III. perennis corporis nostri* substantiæ dissipatio.

LXX.

Quem in sensum l.c. ita loquitur: *licet prædictas causas externas omnes, nos assiduè circumstantes, suaq; vi, hûc & illûc traducentes, devitaremus summo studio, nec ullus earum immineret appulsus, ob ipsorum tamen generationis nostræ principiorum sese mutuò hebetantium contrarietatem, in viventibus perpetuò exerentem sese eorundem propter conflictum mutuum, assiduumq; corporum nostrorum fluorem, decursu ætatis, à primæva laudabili constitutione, sensim in ignobiliorem contendentes, plus, plusq; siccati, labascimur, & demùm satis superq; labefactati, corruimus.*

LXXI.

Hinc irrequieta illa, viventium corporum immutatio, *hinc* caloris insiti, humidiq; primigenii irreparabilis jactura, *hinc* inevitabilis animalium interitus manat necessitas; quæ si exquisitissima vivendi lege præcaveri posset, perpetuari utiqúe posset, animans.

LXXII.

Ast perpetuum, propter calidi, in humidum actionem, hujusque paulatinam consumptionem, fit, ut nihil quidquam toto hoc in universo reperiatur, quod perpetuò, eodem persistat in statu, sed uniuscujusque vita, tempus determinatum habeat, *& ita antecedentes mortis causæ* habent sese.

LXXIII.

Proxima ejusdem interitus causa in Definitione proposita: est totalis humidi consumptio, & insiti caloris extinctio, quam immediatè Animæ ex corpore excipit discessus, & mixti dissolutio.

LXXIV.

Nimirum *calore insito, Animæ administro principalissimo*, illius, quin & corporis, vinculo velut ac nexu arctissimo, intereunte, Animam in corpore permanere est impossibile.

LXXV.

LXXV.

Et quî ſublatâ mixti permixtione & harmonia, *(calore ſ. inſito)* mixtum conſtare amplius poſſet?

LXXVI.

Extinguitur porrò calor inſitus, aut per ſe aut per accidens, *per ſe quidem*, à contrariâ ſibi ambientis aëris, aquæ, & omnis generis aſſumtorum impenſiſsimâ frigiditate.

LXXVII.

Per accidens autem à cauſis Externis, Internis.

LXXIIX.

Illis, ut iis quæ vulnerant, contundunt, ſecant.

LXXIX.

Inſuper ob aëris ſeu defectum *(in ſtrangulatione ſuffocatione)* ſeu, malignitatem *(in peſtilentia)* ſeu immoderatiſsimam caliditatem, calorem inſitum, ad externa immoderatiſsimè provocantem.

LXXX.

Deniq; externorum alimentorum propter pravitatem, inopiam, & copiam indecẽtem, ut videre eſt in Fame & Ingluvie.

LXXXI.

Hiſce, videlicet nativi caloris *partim* ob inhibitum motum liberum *(in venarum & arteriarum interceptione & ſtipatione extrema.)*

LXXXII.

Partim ob internum pabulum *tùm* nimis adauctum *(in plethora ad vaſa) tùm* penitus conſumptum, quò fit ut nativus calor, in ſenibus, perinde ut lucernæ flãma, abſumpto oleo ſponte extinguatur.

LXXXIII.

Quibus poſitis, ſimul apparet, nativum calorem omnino elementarem, de Ignis & Aëris Elementi, naturâ, participare.

LXXXIV.

Quî enim aliàs, tot tamq; variis modis, à ſubſtantiis revera ſublunaribus, pateretur, & tandem planè ſuperaretur?

LXXXV.

Quibus accedunt, quòd omni ex parte elementari fovetur alimento, externo interno.

LXXXVI.

Motu ſublunaribus corporibus proprio, movetur ſimplici recto.

LXXXVII.

Ejus qualitas & quantitas, pro ætatum, anni temporum, aërisque conſtitutionum varietate, varians: tactus auxilio apprimè dignoſci poſsit.

LXXXIIX.

Quod ſanè, (*ætherea ipſius ſi eſſet ſubſtantia*) fieri nullo modo poſſet: Cùm Ariſtot. ex ſententia, quæ in ſeſe viciſsim agunt & patiuntur, ſubjectam naturam obtineant congenerem.

LXXXIX.

Liquet etiam ex prædictis, duplex eſſe omne mortis genus, omnemque Mortem, Violentam eſſe aut Naturalem.

XC.

Illa, à forinſecùs corpus ſubeuntibus; *Hæc*, ipſo in animante conſiſtentibus à cauſis, oritur.

XCI.

Contingit ergo Naturalis mors, ob vitalis calidi & humidi primigenii, defectum ac extinctionem.

XCII.

In *Plantis*, ariditas, in *Animalibus*, ſenectus vocitatur, indolens planè, & inſenſilis.

XCIII.

Sola enim illa, quæ violenter affatim & p.n. in nobis fit paſſio, moleſta eſt & doloroſa, ut Plato ſcribit in Timæo.

XCIV.

Naturalis dicitur, quòd abſente omni vi externa & violenta, ipſam rei quæ moritur naturam, conſequatur; adeoq; ex cauſis in eadem re comprehenſis, communem juxta naturæ curſum, fiat.

XCV.

In violenta Morte, neutiquam paulatim imminutus evaneſcit, ſed repentè, externis à principiis evertitur, calor.

XCVI.

Ejus *ſi eventus fortuitos ſpectes*, innumerabilia: *cauſas autem propin-*

propinquas si respicias, duo potissima constituuntur genera: Maransis & Sbesis, sive Marcor & Extinctio.

XCVII.

Maransis violenta, ad Marasmi senilis differentiam, sic dicta, fit *in vaporiis e. g.* ubi summa à caliditate ambientis aëris, vivificus calor intenditur, intensior redditus proprio seipsum quasi jugulat gladio, atque ad ambitum corporis violenter protractus, suffocatur ibi & supprimitur.

XCIIX.

In Sbesi econtrà, à contrario frigore, calor pessundatur, & evincitur *in illis e. g.* qui hyberno tempore, nivosas pertranseunt alpes *aut in æstate*, sub caniculâ sitim restincturi, frigidiorem affatim hauriunt aquam.

XCIX.

Denique in omnis generis morbis frigidioribus, calorem indies extingui & evinci, quotidiana comprobat experientia.

C.

Et hæc quidem de Vita & Morte, utriusque item adjunctis & causis, ad disputandum pro intelligentiæ meæ modulo proferre placuit. DEO TER OPTIMO MAXIMO VITÆ INDEFICIENTIS AUCTORI, LUMINÚMQUE PATRI, SIT LAUS, HONOR ET GLORIA IN SECULA SECULORUM.

FINIS.

Quæritur:

1. *Solá ne vivunt animantia?*
2. *Vivúnt ne Spiritus, humores, pili, ungues, &c.?*
3. *Solús ne Calor, Vitæ auctor, conservator?*
4. *Quî ergo frigidissima vivunt gressilia, & æstuosissima, vitâ carent, subterranea?*
5. *Calidúm ne & Humidũ, an potius Cor, Vitæ sit principiũ?*
6. *An ergo, Vitam habent, Corde, quæcunque destituuntur insecta, vegetabilia?*
7. *Calor & humiditas, in viventibus, cujus naturæ sunt & originis? Specie, an differunt?*
8. *Si homo tẽperatissimus, quidnî etiam animantiũ omniũ vivacissimus? quidnî cæterorum ad-instar animaliũ, uterum egressus; confestim in pedes sese attollat, & incedat?*
9. *Longævitatis causa, an fellis est absentia? Signum, an dentium robur?*
10. *Hoc seculo, cur breviùs, quàm Protoplasti Adami temporibus, vivitur?*
11. *Hic, vitalis arboris fructû, frui si potuisset, nùm in perpetuùm vixisset?*
12. *Hominis Vita, arte Medicâ, an prolongari potest?*
13. *Potést ne, absq; Respiratione, Cibo item & Potu, Vita con-*
14. *An necessariò animal moritur?* *(servari?*
15. *Quæ, fatalis interitus nostri, veræ sunt causæ?*
16. *Mortis tempus & terminus, veré ne prædici potest, præsciri, & præteriri?*
17. *Utrùm, morientes, reverâ, & necessariò doleant?*
18. *Nùm Cor, ultimum moriens?*
19. *Exempto corde, an confestim mors sequitur?*
20. *Quód nam, ex visceribus principibus, potiorem, ad vitam & mortem, confert vim?*

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

Nobili, & Ornatissimo

D. IOHANNI PFANNERO,

AUSTRIO, JUVENI, GENIO ET INgenio florentiss. Mystæ Apollinæo,

DE VITA ET MORTE,

Rauracûm in Athenæo

τοὺς λόγους ὑποέχειν μελλήσουσι,

gratulantur & applaudunt Amici.

VITA quid hæc nostra est? quid VITÆ terminus instans?
Hæc lege, Pfannerus quæ pandit dogmata: punctum
Qui tenet omne, Choro Phœbi applaudēte, recludit
Dum Vitæ, Mortisq; vices, quibus angimur omnes.

GREGOR. HORSTIVS *D. Reipub. Vlmensis Archiater.*

VT Corpus *valeat*, Mentem sapientia tingat;
Mens, manibus *certam* sacra, *ministrat opem.*
Mente *senex IANE esse cupis, florente juventa*
Nec fuco tingis, sed Ratione comas
Fronte *verecundus nites, &* pectore *frugi*
Hâc, Virtus *&* Honos, *arce, perennis ovat.*
Quod probat insignis *tua* Dissertatio *testis:*
Quâ, quid sit monstras, Vitaque Morsque *simul.*
Quod opus haud juvenum est, opus est sed in arte peritûm
Judiciumq; sapit, hocce virile tuum.
In vitæ stadio, Mortis *qui spicula pensat,*
Mortiferam, moriens non videt ille diem:
Enthea, *sublimem, sed* mens *conscendit* Olympum.
Hic tibi & in Vita, Morteque portus erit.

E. STVPANVS D. & Profes. Medicinæ ordinar.

PRædoctis placuisse Viris, laudabile certè est:
Doctrinâ æquare hos, est mage laudis opus.
Fortiter ergo tuis, PFANNERE, insistere cœptis
Perge: tuum victrix palma coronet opus.
Vive diu, sed vive Deo: discrimina mortis
Sperne: graves morbos pelle: perennis eris.

M. JOHANNES BVXTORFIVS
Linguæ sanctæ Prof.

QUid vita? est fragilis: quid forma? est fluxa: quid aurum?
Est liquidũ: quid homo? est ventus, & aura levis.
Ergo quid est certum? Mors rerum certa ruina,
Imperio cujus, cuncta parere jubet.
Quam velle effugere, est stultum, quam velle timere,
Est miserum, solus, sola medela, DEVS.
Nec mirum, superest splendenti splendida sedes,
Terra parum splendet, possidet ergo polum.

Augustæ Vindelicorum, scripsit memoriæ ergò
ELIAS EHINGER, Augustani Gymnasii Rector
& Bibliothecarius, postridie Palmarum, D.
MDCXXVIII.

QUi benè PRO vita, CONTRA qui funera dextrè
Disputat, is, laudem cur mereatur, habet.
Non ita tu partes dirimis, Pfannere: disertas
Sed benè PRO membro scribis utroque theses.
Has ut defendas benè, comprecor. hinc tibi Vita,
Hinc tibi debebit Mors etiam ipsa decus.
Dum superes, Vitæ mactabit adorea. Vitâ
Exieris; nomen nobile Morta dabit.

Ita ominabatur benevolenti affectu
SEBAST. STROMAJER M. D. Reipubl. Vlmensis
Patriæ Physicus Ordinarius.

PFANNERE Aonios flos nobilis inter alumnos,
Quem BASILEA suo suscipit ampla sinu.
Nunc iterum ingenii ille tui sese exerit ardor,
Illaque vis vivax indolis alta tuæ.
Acer Academiæ dum publica pulpita scandis,
Et Medicum gaudes enucleare sophos:
Hoc faveo decus, & tantum tibi grator honorem,
Atque Tibi atque Tuis ID voveo esse BONUM!
Pergere perge viam hanc, contentos ritè labores,
Atque animi nervos clara brabeja manent.
Ingeniique solo te felix ala levabit,
Et gignet famæ secula multa tuæ.
Urge opus, ac insta Medicam meruisse Tiaram,
Quam capiti imponet tum BASILEA tuo.

Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται.
AMOR meus crucifixus est.
In cruce fixus amor meus est.

M. Ulrichus Schmidt, Ecclesiæ ULMENSIS Patriæ in summo Templo Verbi divini Minister, & Hebr. Græcæq; Lingg. Prof. publ.

HActenus in Themidos sacro Eunomiesq; recessu
Sudasti, & prisca multus in Historia:
Nunc placet ante alias Serpens Epidaurius artes,
Et Cous primas, ac Aretæus habent.
Culpet id haud nemo: falsò culpare docebo.
Quippe ordo studii nobilis ille placet:
Cùm primas animus, corpus Cùm deinde secundas
Obtinet, ac tempus fervet utrique suum.
Tu, quæ prima, priùs; quæ deinde secunda, secutus
Posteriùs, membro laudem ab utroque feres.
Quæq; paras Vitæ scitamenta, atque sororum
Trigæ, quo Vitæ volvere fila solent:
Illa tibi Vitam producent: ipsaq; Parca,
Vivere te, vel post fila resecta, volet.

Εὐνοϊκῶς πάνυ d. J. B. Hebenstreitt.

Quid MORS sit, quid VITA, docens; quæ causæ utriusque;
Quæ bona, quæ mala sint; quot comitentur ea;
Totius Artis opes medicæ, secretaq; prodis;
Seu magis ingenii munera rara tui.
Munera, crede mihi, rara isthoc flore juventæ,
Quanta senescenti tempore vix alii.
Perge ita, in exilio constantis magna Parentis
Spes, reliquasq; brevi promito mentis opes.
Disputa, & hoc felix certamen nobile certa:
Nec dubita; Fama hinc gestit abire domum.
Te plura ora legent, & secum plurimus hospes
Ad patrias sedes hinc tua scripta feret.
Nunc age, & has ipsas, memoras quas ordine, causas
Exsequere; aut remove voce, manu, calamo.
Telaq; protela diræ velocia Mortis,
Atque retardato tartarei ora Canis.
Balsama tabidulis Vitæ *pretiosa foveto:*
Sic Vitâ *clarus*, Morteque *semper eris:*
Vitâ, *tutando* Vitam; *tùm* Morte, *fugando*
Mortem, *præscriptos à Deo ad usque dies.*
Ille DEVS, Vitæ Mortisque *ille Arbiter, horæ*
Ducat in immensum fila suprema tuæ:
Ne tàm præcipiti veniant tua Fata volatu;
Atque ita spes maneat nostra, Patris, Patriæ.

Boni ominis ergò P.

JOHANNES MELDER, Ulmensis,
Medic. Studios.